

XXVII. Dubium vero est in duobus: primum, an ista gratia sanans, et auxilians debeat esse supernaturalis ordinis, et non solum specialis in genere naturæ: secundum est, an ista gratia auxiliativa ad opera ita difficilia de facto inveniatur sine gratia sanctificante, et sanante a peccato, saltem per accidens. Hæc dubia maxime pendent ex dicendis sequenti disputatione, ubi agemus de necessitate supernaturalis auxilii.

XXVIII. Dicimus ergo ad primum, quod per se loquendo, et quantum est ex parte objecti, solum requiritur auxilium speciale ordinis naturalis, supposita tamen elevatione ad statum supernaturalem requiritur ad dilectionem Dei super omnia, et ad implenda omnia mandata auxilium supernaturale: similiter dicimus ad secundum, quod per se, et ex præcisa ratione objecti non requiritur gratia sanctificans ad talia opera, bene tamen per accidens, præsertim ad dilectionem Dei super omnia, et ad impletionem omnium mandatorum. De primo videatur doctor Montesinos hic disputat. xxvii, quæst. vi, et magister Curiel supra articulo tertio, dubio ultimo, conclusione secunda. Ratio primæ partis est, quia impletio legis naturalis, et dilectio illa Dei super omnia sunt opera naturalis ordinis; ergo ex natura talium operum solum exigunt auxilium ejusdem ordinis naturalis. Ratio secundæ partis est, quia dilectio Dei supernaturalis opponitur aversioni a Deo fine naturali; sed in hoc statu aversio a Deo fine naturali, etiam est aversio a Deo fine supernaturali, cum sit destructiva gratiæ, cum tamen in statu puræ naturæ non redderet hominem privatum gratiæ, quia tunc solum erat negatio gratiæ, eo quod non erat homo ordinatus ad illam: et ulterius non potest aversio a Deo tolli quantum

ad finem naturalem, et relinqui quantum ad finem supernaturalem, quia est indivisibilis privatio; ergo oportet quod dilectio Dei auctoris naturalis ut tollat aversionem sibi oppositam, debeat etiam tollere illam ut est aversio a Deo fine naturali, et consequenter comitare debet illam auxilium supernaturale. Similiter omnium mandatorum impletio habet ex lege Dei connexionem cum vita æterna, juxta illud: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata: et ad Galat. III: Qui fecerit ea quæ legis sunt, vivet in illis.* Ergo non possunt impleri omnia mandata legis sine auxilio supernaturali propter istam connexionem cum vita æterna, unde in homine justo in quo aversio ista sublata est, non repugnat elici amorem Dei naturalem sine aliquo supernaturali conjuncto. De isto puncto videri potest Montesinos hic disp. xxvii, quæst. vi, et Curiel in hac quæstione, art. III, dubio ultimo, conclusione secunda.

XXIX. De secundo videatur pater Suarez lib. I de gratia, cap. xxvii, et Lorea hic disp. vii, ubi late probat ex auctoritatibus patrum, et congruentiis non dari infidelibus, et peccatoribus illam gratiam specialem ad servandam totam legem, et ad opera illa difficillima: quæ solum probant stante illo statu permanentiæ in peccato non dari eis connaturaliter talem gratiam specialem, quia ratione status sunt illa indigni, et ponunt obicem, et impedimenta ad illam: non est secundum cursum ordinarium dari ista beneficia ponenti obicem, ut enim connaturali modo dentur requiritur gratia sanctificans in subjecto, præsertim ad amorem Dei super omnia, quia vel supponit subjectum esse justum, vel facit ut non detur iste amor pro isto statu in peccatore, nisi simul cum amore Dei supernaturali (ut

diximus) et idem est de observatione totius legis, quæ hunc amorem Dei efficaciter includit.

## ARTICULUS V.

*Utrum ad totam legem implendam, et omnes tentationes superandas, requiratur specialis gratia?*

I. Lex impleri potest, vel quantum ad substantiam, id est, quantum ad id quod ex parte objecti respicitur a lege, ut lex præcipiens jejunium per hoc solum quod abstinenceatur impletur: vel potest impleri quoad modum, et est multiplex modus, ut D. Thomas docet 1-2, quæst. c, art. ix et x, verbi gratia, quod fiat modo virtuoso, scilicet bona intentione, et electione; vel modo meritorio, quod est ex charitate; vel firmiter, et stabiliter, quod est ex habitu. In præsentem autem nomine impletionis totius legis intelligimus tam substantiam operis, quam modum qui cadit sub lege naturali, et requiritur ut sine peccato fiat, et ita excludimus modum meritorium, qui pertinet ad charitatem supernaturalem.

II. Resolutio hujus dubii est manifesta ex præcedenti articulo, respondemus enim affirmative, scilicet requiri gratiam specialem, tam in statu peccati, quam puræ naturæ, ut tota lex naturalis impleatur. Ratio hujus sumitur ex illo duplici principio sæpe insinuato, scilicet ex naturali mutabilitate voluntatis, et debilitate rationis proponentis, et rebellionem appetitus ad spiritualia, unde insurgunt graves tentationes contra rationem, quæ omnia vincere præsertim perseverando (nam etiam perseverantia cadit sub lege) est supra naturale debitum, et cursum ordinarium nostræ naturæ; ergo petit specialem gratiam, quæ sanet istam

infirmiorem, et consequenter quæ sit gratia interna, et non solum externa protectio Dei tollentis impedimenta extrinseca, quia infirmitas ipsa interna est, et vires quæ deficient intrinsecæ sunt, licet distinctæ ab entitate potentiæ, ut supra dictum est. Videri potest D. Thomas hic ad ea.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

III. Solum duo argumenta sunt, quæ solent esse molestia contra hanc conclusionem. Primum est, quia non videtur salvari quod Deus non præcipiat impossibilia absolute loquendo, quæ est propositio damnata in Conciliis, præsertim Tridentino sessione vi, cap. xi; sequela autem constat, quia Deus præcipit totam legem, cum in nullo ejus præcepto dispenset: ergo si non possumus sine speciali gratia totam legem implere, præcipit aliquid impossibile ipsi naturæ, saltem quantum ad totum onus legis, licet singula præcepta possit implere. Et quod per specialem gratiam possit non obstat, alioquin posset Deus præcipere claudum ut ambularet, et ægroto ut laboraret, quia possunt ista fieri per specialem gratiam Dei.

IV. Secundum argumentum est, quia possumus vitare quodlibet peccatum, alioquin si non possemus vitare, non esset peccatum: ergo possumus vitare omnia saltem successive, unum post aliud; ergo et implere totam legem: qui enim omnia peccata vitat, in nullo transgreditur legem; ergo implet totam. Consequentia patet, quia quocumque peccato evitato non diminuitur potestas vitandi aliud succedens, alioquin jam non posset peccare, si non posset vitare, et dato quod diminueretur potestas, non sequitur quod non posset absolute, sed quod non



posset ita facile; ergo quocumque evitato potest aliud succedens evitari, et omnia, quia non est major ratio de uno quam de alio.

V. Ad primum respondetur duo esse confitenda contra hæreticos, scilicet contra Lutheranos, nos habere potentiam libertatis ad omnia bona opera; et contra Pelagianos, nos habere potentiam firmitatis, id est, vires seu principia sufficientia sine gratia ad omnia bona opera, et potentiam libertatis aliqui vocant physicam potentiam, vires autem seu principia, vocant potentiam moralem, quia principia operandi a voluntate pendent ex convenientia objecti, quod moraliter movet; illud ergo fatendum est secundum doctrinam S. Thomæ et D. Augustini, quod Deus aliqua præcipit nobis, quæ viribus naturæ non possunt fieri, sed solum sunt possible per gratiam, et hoc sufficit ut dicatur simpliciter possibile, quia quæ possumus per amicos simpliciter possumus; quæ est solutio sancti Thomæ hic articulo quarto ad secundum et D. Augustini, libro de gratia et libero arbitrio, cap. XVI, ubi inquit: « Ideo jubet Deus aliqua, quæ non possumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus, ipsa est enim fides, quæ orando impetrat, quod lex imperat. » Et eandem doctrinam definit Concilium Tridentinum sess. VI, cap. XI. Ideoque ista solutio est melior inter cæteras, quia approbata est a patribus et Ecclesia.

VI. Et ad instantiam de claudo cui non potest imponi præceptum ad ambulandum, respondetur esse disparem rationem, quia in claudo deest potentia physica, et instrumenta requisita ad ambulandum, unde non est capax illius præcepti, nisi restituta per miraculum potentia, quod miraculum non est illi oblatum, et quasi in promptu: at

vero voluntas infirma habet potentiam physicam ex parte libertatis ad volendum bonum, et solum deest potentia moralis, et vires quibus talis potentia moveatur, quas per auxilium Dei habere potest, quod illi oblatum est, et in promptu, unde præceptum, quod illi ponitur ad implendam totam legem, non ponitur ut impleat illam absolute, et propriis viribus, sed per auxilium Dei, quod sibi offertur. Unde est valde notanda doctrina D. Thomæ hic artic. VI, ad secundum ubi ait: « Cum dicitur homo facere quod in se est, dicitur hoc est in potestate hominis secundum quod est motus a Deo, » non ergo absolute homo potest, sed homo auxiliatus. Cui consonat Augustinus libro de correptione, capite XI, ubi inquit: « Quod si hoc adjutorium vel Angelo, vel homini defuisset, quoniam non talis naturæ factus erat, ut sine divino adjutorio posset manere si vellet, non utique sua culpa cecidisset, adjutorium quippe defuisset sine quo manere non posset. » Quod valde notandum est ad evadenda illa argumenta in materia de auxiliis, quomodo possit homo facere si non est in potestate ejus auxilium efficax sine quo nunquam faceret. Respondetur enim, quod quia homo non potest facere nisi ut motus, et auxiliatus a Deo, et istud auxilium ex parte Dei non deficit, sed est in promptu, ideo simpliciter potest facere, licet auxilium istud non oriatur ab homine, sed recipiatur ab homine, et detur a Deo.

VII. Ad secundum respondetur quodlibet peccatum etiam veniale posse evitari secundum potentiam physicam libertatis, quia nullum peccatum cogit voluntatem. Cæterum secundum moralem potentiam, id est, potentiam includentem principia, et vires sufficientes ad resistendum peccato, non omnia vitari

sine speciali auxilio, quia multa proponuntur cum gravi tentatione ad cujus resistentiam requiritur auxilium speciale. Et secundo, deficit argumentum, quia non facit sufficientem numerationem, et inductionem a quolibet peccato ad omnia, quia in hoc verbo potest, non fit sufficiens inductio numerando singula quæ potest singillatim, et seorsum, et quasi ex parte objecti, omitendo autem difficultates quæ nascuntur ex continuatione inter unum actum et alium, unde ad bene numerandum sic debet fieri inductio: Potest hunc actum facere, et illum, et sic de singulis, et continuationem inter hunc actum, et illum superare, et reliquas tentationes, et difficultates, quæ singulis actibus possunt supervenire; ergo potest legem implere, et omnia peccata vitare; sed tunc antecedens est falsum, quia difficultas, quæ nascitur ex tali continuatione vinci non potest per vires naturæ, propter mutabilitatem intrinsecam voluntatis, et defectum principiorum ad resistendum illi; defectus autem principiorum, et virium non inducit solam difficultatem majorem, sed impossibilitatem, quia est defectus in aliquo intrinsece requisito ad operandum, non quidem quod entitas potentia diminiatur, sicut in ægritudine corporali debilitantur vires physicae, sed quia deficiunt principia ex parte objecti convenienter propositi, et affectus voluntatis ad ipsum, quæ vocantur principia moralia, quia pendent a propositione objecti moraliter moventis, sed tamen sine illis nullo modo potest voluntas operari. Aliud ergo est entitas potentia, aliud vires, et aliter se habent vires morales ex parte objecti, et affectus, quæ hic deficiunt, aliter vires mere physicae, quæ deficiunt in ægritudine corporali.

SEQUITUR EXPLICATIO LITTERÆ D.  
THOMÆ.

In articulo sexto inquit utrum homo possit mereri vitam æternam sine gratia, et respondet conclusione negativa.

In articulo septimo inquit utrum possit homo seipsum ad gratiam præparare sine auxiliis gratiæ, et respondet duplici conclusione. Prima est: Ad hoc ut præparetur homo ad gratiam consummatam, quæ est beatitudo, indiget gratia habituali sanctificante, quæ est principium merendi: secunda conclusio: Ad hoc ut homo præparetur ad istud donum gratiæ habitualis, non indiget alio dono habituali, sed auxilio Dei moventis supernaturaliter.

In articulo octavo inquit utrum possit homo resurgere a peccato sine auxilio gratiæ, et respondet unica conclusione: Nec ad bonum naturale quod diminuitur per peccatum, nec ad bonum gratiæ quod privatur per peccatum, nec ad remissionem pænæ æternæ, quam homo incurrit per peccatum, reparari potest, nisi per auxilium gratiæ, et interius moventis et infundentis habituale donum.

In articulo nono inquit utrum homo sine gratia possit non peccare, et respondet triplici conclusione. Prima est: In statu naturæ integræ poterat homo sine gratia habituali evitare omne peccatum veniale, et mortale, non tamen sine auxilio Dei conservantis in bono: secunda conclusio: In statu naturæ lapsæ indiget habituali gratia sanante naturam ad hoc, quod omnino a peccato abstineat: tertia conclusio: Etiam sanante natura potest homo abstinere ab omni peccato mortali, non tamen ab omni veniali, propter corruptionem inferioris appeti-



tus: et similiter qui est in peccato mortali potest quodlibet mortale evitare, sed non omnia, vel per longum tempus.

## DISPUTATIO XX.

DE NECESSITATE GRATIÆ SUPERNATURALIS  
ORDINIS AD OPERA SUPERNATURALIA.

Egit D. Thomas in istis quatuor articulis de indigentia gratiæ supernaturalis ordinis, et sunt quatuor ad quæ indigemus illa. Primo, ut opera sint meritoria vitæ æternæ: secundo, ut præparemur ad justificationem: tertio, ut ipsam justificationem consequamur, et reparationem a peccato: quarto, ut possimus conservari in justificatione per abstinentionem a peccato. De his quatuor egit D. Thomas per istos quatuor articulos. Nos autem hic omittimus ea quæ pertinent ad rationem meriti, quia explicanda sunt in quæstione cxiv. Similiter quæ pertinent ad præparationem ad gratiam et reparationem a peccato, multa tractanda sunt in materia de justificatione quæstione cxiii. Solum ergo tria hic tractanda sunt. Primum, utrum omne quo præparat ad gratiam sanctificantem debeat esse supernaturalis ordinis: secundum, utrum possit dari aliqua reparatio a peccato sine gratia supernaturali: et tandem, utrum ad evitandum omne peccatum, sive mortale, sive veniale sit necessaria gratia supernaturalis ordinis.

## ARTICULUS I.

*Utrum omnis actus præparans ad gratiam sive proxime, sive remote indigeat gratia supernaturalis ordinis?*

I. Multi discurrunt hic per omnes actus virtutum, et donorum supernaturalium, ut ostendant quomodo ad illos requiratur auxilium supernaturalis ordinis, et inter alios pater Suarez in toto libro secundo de gratia discurret per istos actus supernaturales: sed alienum est ab hac materia hæc ita tractare, quia habent speciales materias.

II. In præsentem ergo supponimus unum principium tamquam certum, et ab omnibus recipiendum, scilicet quod omne illud quod supernaturalis ordinis est in se, requirit etiam auxilium ejusdem ordinis; proportionatur enim auxilium effectui quem efficit, et causæ quam adjuvat, unde si effectus est ordinis supernaturalis, etiam concursus, et influentia in illum debet esse ejusdem ordinis, ut illi proportionetur. Ex quo principio per immediatam consequentiam deducitur, quod omne opus quod conducit, et ordinatur ad acquirendam gratiam sanctificantem sub ea formalitate, qua ad id conducit, debet esse supernaturalis ordinis, et ex auxilio supernaturali, utpote ad finem supernaturalem directam. Et sumitur hæc resolutio ex Concilio Tridentino sessione vi, canone iii: « Si quis dixerit sine proveniente Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio posse hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere, sicut oportet ut ei gratia justificationis conferatur, anathema sit. » Unde deducitur argumentum: Ordinatio cujuscumque operis ad gratiam sanctificantem, vel conducit ad illam,

vel non: si non conducit, est ordinatio frustranea, et nullius momenti; frustra enim ordinatur tamquam actus, et dispositio ad aliquid, quod nihil conducit ad illud, et de tali ordinatione non loquitur: si autem conducit; ergo pro ea parte qua conducit fit sicut oportet ad justificationem; ergo est a Spiritu sancto præveniente, et ejus adjutorio: quo nomine auxilium ordinis supernaturalis perpetuo intellexere patres et Concilia: et licet aliquid solum inadæquate, et ex parte conducat, et non se habeat tamquam totale, vel etiam ultima dispositio, tamen adhuc requirit auxilium supernaturale, pro ea parte qua conducit ad justificationem; nam etiam actus fidei et spei non sunt ultima, nec totalis dispositio ad gratiam, et tamen dicit Concilium quod: « Si fiant ut oportet ad justificationis gratiam, sunt a Spiritu sancto. » Quidquid ergo fit ut oportet ea ratione qua conducit, a Spiritu sancto est: non enim est major ratio de actu fidei ut conducente, quam de alio quocumque opere similiter ad id ordinato, et conducente.

III. Confirmatur, quia talis directio non potest alicui operi convenire ex principiis naturæ secundum ordinem naturalem, quia in tota natura non est aliquid proportionatum et positive ordinatum ad gratiam; ergo debet esse ex principiis superioris ordinis ad totam naturam, per hoc enim proportionatur gratiæ quæ superioris ordinis est.

IV. Difficultas vero reducitur ad hoc ut videamus, utrum aliqua opera habeant secundum se, et ex sua natura istam ordinationem ad gratiam sanctificantem, aut saltem ita annexam ut nullo modo possint fieri sine auxilio gratiæ supernaturalis. Et præcipue difficultas consistit in tribus. Primo, in pia affectione ad credendum, quæ videtur con-

cipi ex motivis naturalibus: et tamen conducit ad fidem, et ad gratiam: secundo, in substantia actuum virtutum infusarum, utrum illæ ex substantia talis operis exigant supernaturale auxilium; an solum ratione alicujus modi, vel formalitatis extrinsecæ: tertio, in adimplitione totius legis naturalis, et dilectione Dei naturali super omnia, quæ virtualiter est impletio legis, utrum requirat auxilium supernaturale propter connexionem, quam habent cum vita æterna, et quia decretum est a Deo ut facienti quod in se est non deneget gratiam, implens autem totam legem facit quod in se est.

V. Circa primum disputatum est in materia de fide, et ad illam pertinet directe ista difficultas: breviter dico, quod cum certum sit voluntatem illam credendi supernaturaliter ex parte rei volitæ esse supernaturalem, quia actus credendi supernaturaliter res supernaturalis est, tota difficultas consistit in hoc, an etiam ex parte motivi volendi illa voluntas sit supernaturalis, hoc enim requiritur ut ille actus in sua substantia, et specie sit supernaturalis. Videtur enim quod illa voluntas oriatur ex motivo naturali, si quidem naturali discursu cognoscuntur motiva, quibus homo persuadetur ad volendum credere, scilicet ex miraculis, ex testimonio martyrum, et sanctorum, et continuatione Ecclesiæ, et aliis similibus, quibus tamquam motivis inducitur homo, et judicat conveniens hoc quod est velle credere: ergo talis voluntas naturalis est in sua substantia, utpote ex naturalibus motivis orta.

VI. Secundo evidentius, quia si illa voluntas est supernaturalis quoad substantiam; ergo oritur ex judicio supernaturali, sicut enim: Nihil est volitum quin præcognitum, ita nihil est supernaturaliter voli-